

Reverendissime et Ill^me Princeps, Card^lis Amplissime.

Septennium est, ex quo S.D.N. Paulus Quintus Collegiatae Ecclesiae, ab Illustri viro Domino Henrico Truchsesio, S.R.I. haereditario dapifero, in Castro Wolfegg magnifice ingentique sumptu restauratae, ⁵ altare privilegiatum ad proximos septem annos, conditionibus in Brevis Apostolico (quod adjungo) expressis, benignissime concessit. Sed quoniam praefixum tempus in decursu est et jam pene expiravit, supplicat S.S^{ti} idem Dominus Orator per R^mam et Ill^mam G.V. quam humillime, pro semel jam collatae et impertitae gratiae confirmatione ¹⁰ et continuatione; sic tamen ut ad priorem favorema Apostolicum, modica aliqua fiat accessio, ad paucula haec capita, quae appono, restricta et coarctata.

Primo ut si Sua Sanctitas dictum altare perpetuo privilegio dignari non velit, priorem saltem annorum numerum, utpote admodum ¹⁵ contractum, ad annum saltem vicesimum extendat. 2^o Ut facultas in dicto altari sacrificandi, sacerdotibus undecunque venientibus, non autem iis solis qui de corpore sunt ejusdem ecclesiae, concedatur; cum enim sacerdotibus illius loci ratione foundationis et multae et graves aliae incumbant rei divinae faciendae obligationes, et ita paucis ac raro servire possint, fit profecto ut ipsa etiam Apostolica ²⁰ gratia in paucarum animarum levamen et adjumentum cedere possit. 3^o Ut ad feriam secundam (in Brevis Apost. taxatam) una adhuc feria ex hebdomade adjungatur, quarta nimirum vel sexta.

Tribus hisce limitatiunculis omne illudque ardens Domini Oratoris ²⁵ postulatam concluditur, dignum sane, nisi vehementer meipsum decipio, cui et S^mus D.N. Apostolica benignitate annuat, et apud eundem Ill^mae C.V^{rae} favore et gratia clementer adjuvetur, et ad optatissimum exitum perducatur. Illustria viri in Ecclesiam, Ecclesiasticos et Religiosos merita, septem retro annis, R^mae Ill^maeque C. ³⁰ V. utcunque adumbravi, ut operae pretium non sit inani scriptione illa eadem denuo suggerere. Illud solum addo, optimum Dominum non

/ modo sibi ab illa temporis periodo constare, sed majorem etiam seipso semper fieri, tum in orthodoxa religione in sua Ditione (quam sane ne habet amplissimam latissimique patentem) studiosissime conservanda et propaganda, tum in cultu ecclesiastico in dies augendo adque
5 Romanam formam miro studio et contentione traducendo, tum demum in Ordinis nostri hominibus (quos Constantiam identidem evocat) omni beneficiorum obsequiorumque genere sibi demerendo, ut sane nullum habeat Constantiense Collegium hoc uno viro benefactorem patronumque illustriorem. Et ut Sedes Apostolica aliud non haberet, unde
10 tantum filium paternis visceribus plane amplecteretur, quam unum illud quod felicissimae memoriae Ottonis Cardinalis Truchsesii esset ut sanguinis proximus haeres, ita ejusdem virtutum germanus imitator, abunde sufficeret ut Romani Pontificis liberalitatem, si alius quispiam, experiretur. Experiretur autem si et R/mae et Ill/mae C.V.
15 (quod alias tam paternam ibidem eidem Domino gratificandi voluntatem praestitit) ad desideratam totoque corde expectatam gratiam S/D.N. accenderit excitaveritque conferendam. Certe in unam C.V/ra suam spem omnem orator collocatam habet, cujus calentia vota, uti omnino confido, non contemnet; quae ego, ab ipso rogatus, ut olim Con-
stantiae, ita nunc Monachii, R/mae et Ill/mae C.V. libens, et pro ejus in omnes bonos meritis, etiam debens, humillime exponere volui, et expectatam gratiam propediem cum Domino oratore Monachii expectare. R/mae et Ill/mae Cels.V. sacram purpuram demisse exosculor, eique pro novo anno terna sacra devotissime offero. Monachii 7 Febru-
25 arii A° 1615.

R/mae et Ill/mae Cels.V/rae

Devotissimus in X° servus et filius

Joannes Dannenmeyer e Societate Jesu.

=====

(adresse): Reverendissimo et Illustrissimo Principi ac Domino,

30 Domino Roberto S.R.E. tituli S/tae Mariae in Via, Cardinali Bel-
larmino Domino suo clementissimo et observandissimo (cachet)